

minori probabilitate quadam permoveatur. Unde fieret, ut disputare liceret de religione eodem fere modo ac olim disputabatur inter philosophos; religio vero non esset nisi systema philosophicum, sectæ autem totidem academicæ, vel scholæ philosophicæ, in quibus liberum est id tenere ac sectari, quod bonum unicuique videtur. Quis autem sobrius sibi persuadere poterit Deum sic dedisse revelationem suam, ut ejus existentia et sensus permitteretur hominum disputationibus, et omnia incerta, omnia confusa essent, ac religio desineret in pyrrhonismum vel philosophicam quæstionem (1)? In hoc systemate protestans sive hæreticus, divulsus ab ecclesia universa omnium sæculorum, quæque hætenus perdurat, segregatus a consortio eorum etiam, qui ecclesiam deseruerunt, cum quisque habeat ex principio protestantismi religionem suam individualem, et sibi a se cusam, solus est, velut insula sive scopulus, in medio mari procellis fluctibusque undique percussus. Quam vero spem, quodve solatium capere potest ex religione sua? Quid si erret? Quod iudicium sibi polliceri poterit a Christo Domino post mortem? Omnia plane in hoc systemate horrorem ingerunt, ac plèna omnia formidine sunt. Contra vero catholicus, in systemate seu principio auctoritatis securus vivit; ipse communicat cum ecclesia omnium sæculorum et locorum omnium; consortio fruatur apostolorum, martyrum, sanctorum omnium ætatum: nullum unquam poterit ob religionis suæ professionem periculum subire, nisi (quod absurdum

(1) En quomodo ab alio folio protestantico progressus protestantismi describitur: « C'est au seizième siècle que la première fois, dans la série des événements qui nous intéressent, on voit la liberté de conscience ouvertement et nettement érigée en principe; mais d'abord ce n'est point cette liberté illimitée qu'on a réclamée depuis, c'est seulement la faculté de croire, sur un certain nombre de points déterminés, autrement que l'Eglise catholique. A mesure qu'en se succèdent, les sectes, qui s'élèvent du sein de l'Eglise, prétendent s'éloigner davantage de sa doctrine, elles reculent aussi théoriquement les bornes de cette faculté qu'elles s'attribuent par le fait. Les Ecritures sacrées avaient été d'abord le champ où il paraissait convenu que la liberté de conscience devait se renfermer; bientôt cette limite est franchie; la religion par quelques hommes est réduite, dans son dogme, à une simple conception de la raison et du sentiment, et dans son culte à une pure relation métaphysique de l'homme à son Créateur; enfin les idées fondamentales de toute institution ou croyance religieuse sont elles-mêmes attaquées, et c'est à l'abri du principe de la liberté de conscience, toujours de plus en plus étendue, que ces divers degrés d'incrédulité se produisent tour à tour et essaient de se faire recevoir. » (Producteur; n. 9, pag. 408). Hoc ipsum, jam a quinto Ecclesie sæculo, rursus præviderat et prænuñciaverat, in suo admirabili *Commoitorio*, cap. xxiii, Vincentius Lirinensis: « Nam si semel admissa fuerit, » inquit, « hæc impia fraudis licentia, horreo dicere quantum excidendæ atque abolendæ religionis periculum consequatur. Abdicata etenim qualibet parte catholici dogmatis, alia quoque atque item alia, ac deinceps alia et alia, jam quasi ex more et licito abdicabuntur. Porro autem singillatim partibus repudiatis, quid aliud ad extremum sequetur, nisi ut totum pariter repudietur? »

omnino est) universa catholica ecclesia locum periculis daret; se ipse spectat veluti membrum magnæ familiæ, cujus caput invisibile Christus est, qui imaginem sui reliquit in Petro ejusque successoribus vicariis suis, in qua omnia bona communia sunt, universalis quidam amor omnia regit, in qua omnia sapientissima providentia a Christo ad nos usque perseverant, omnes eidem mensæ eucharisticæ assident; et si quæ humana fragilitate maculæ contrahuntur, per humilem culparum confessionem, in qua ex integra animi sui manifestatione magnum quisque a parente omnium amantissimo percipit solatium. Nunquam solus catholicus est, nec vivens nec moriens, sed sicut unus Dominus, ita una fides, unum baptisma, unum corpus et unus spiritus, sicut vocatus est in una spe vocationis suæ. Quia imo nec deseritur post mortem; pergit enim communicare cum ecclesia sua, sive militante, cujus suffragiis juvatur, sive triumphante, quæ munus ad ipsum tendit et ad se eum invitat.

Itaque vel nulla religio, vel sola religio catholica. Nullum datur medium; vel si medium datur, est medium incoherentiæ. Quia si Deus est, si divina providentia sua cuncta gubernat, per nexum quemdam validamque ipsius rationis vim ad catholicam professionem tandem deveniri debet.

Placet hæc omnia testimonio et auctoritate magni Augustini roborare et confirmare, qui non minus vere quam eleganter velut compendium exhibet eorum omnium, quæ hætenus fuse a nobis, in utraque hujus tractatus parte, discussa sunt atque exposita.

Si Dei providentia, scribit ipse, non præsidet rebus humanis, nihil est de religione satagendum; sin vero et species rerum omnium, quam profecto ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte manare credendum est, et interior, nescio quæ conscientia Deum quærendum, Deoque serviendum, meliores quosque animos quasi publice privatimque hortatur, non est desperandum ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, quo velut gradu certo innitentes adtollamur in Deum. Hæc autem, seposita ratione, quam sinceram intelligere, ut sæpe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos movet, partim miraculis, partim sequentium multitudine... miraculum voco, quidquid arduum aut insolitum supra spem vel facultatem mirantis apparet, in quo genere nihil est populis aptius, et omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admovetur. Sed rursus hæc in duo dividuntur; quædam enim sunt, quæ solam faciunt admirationem, quædam vero magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volentem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis gravi et desperato morbo affectus, mox ut jussum fuerit, convalescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiam caritate sperabit. Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum sat erat, hominibus apparebat. Sanati languidi, mundati leprosi, incessus claudis, cæcis visus,

surdus auditus est redditus. Homines illius temporis aquam in vinum conversam, saturata quinque millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt; ita quædam corpori manifestiori beneficium, quædam vero menti occultiori signo, et omnia hominibus majestatis testimonio consulebant; sic in se tunc animas errantes mortalium divina commovebat auctoritas. Cur, inquis, ista modo non sunt? Quia non moverent nisi mira essent: at si solita essent, mira non essent. Nam diei et noctis vices et constantissimum ordinem rerum celestium... decedentes redeuntesque frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorum saporumque varietates, da qui primum videat atque sentiat, cum quo loqui possimus, hæbescit obruiturque miraculis; nos vero hæc omnia, non cognoscendi facilitate, quid enim causis horum obscurius? sed certe sentiendi assiduitate contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissime, ut, his multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis converteretur auctoritas. Mores autem quilibet tantum valent ad obtinendas hominum mentes, ut etiam quæ in his prava sunt, quod fere superantibus libidinibus evenit, improbare citius et detestari quam deserere aut mutare possimus. Parumne consultum rebus humanis arbitraris, quod nihil terrenum, nihil igneum, nihil denique quod corporis sensus attingit, pro Deo colendum esse, ad quem solo intellectu ambiendum est, non pauci doctissimi disputant, sed imperitum etiam vulgus marium feminarumque in tam multis diversisque gentibus et credit et prædicat? Quod continentia usque ad tenuissimum victum panis et aquæ, et non quotidiana solum, sed etiam per contextos plures dies continuata jejunia, quod castitas usque ad conjugis prolisque contemptum, quod patientia usque ad cruces flammæque neglectas, quod liberalitas usque ad patrimonium distributa pauperibus, quod denique totius hujus mundi aspernatio usque ad desiderium mortis intenditur? Pauci hæc faciunt, pauciores bene prudenterque faciunt; sed populi probant, populi audiunt, populi favent, diligunt postremo populi; populi suam

imbecillitatem, quod ista non possunt, nec sine propectu mentis in Deum, nec sine quibusdam scintillis virtutis accusant. Hoc factum est divina providentia per prophetarum vaticinia, per humanitatem doctrinamque Christi, per Apostolorum itinera, per martyrum contumelias, cruces, sanguinem, mortes, per Sanctorum prædicabilem vitam, atque in his universis digna rebus tantis atque virtutibus, pro temporum opportunitate, miracula. Cum igitur tantum auxilium Dei, tantum profectum fructumque videamus, dubitabimus nos ejus ecclesie condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus et partim plebis ipsius iudicio, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? Cui nolle primas dare, vel summæ profecto impietatis est, vel præcipitis arrogantia. Nam si nulla certa ad sapientiam salutemque animis via est, nisi cum eos rationi præcolit fides; quid est aliud ingratum esse opi atque auxilio divino, quam tanto labore præditæ auctoritati velle resistere? Et si unaquæque disciplina, quamquam vilis et facilis, ut percipi possit, doctorem aut magistrum requirit; quid temerariæ superbiæ plenius quam divinorum sacramentorum libros, et ab interpretibus suis nolle cognoscere, et incognitos velle damnare? Quamobrem si quid te vel ratio vel oratio nostra commovit, et si veram, ut credo, curam tui geris; velim me audias, et bonis præceptoribus catholicæ christianitatis te pia fide, alacri spe, simplici caritate committas; Deumque ipsum, cujus unius et bonitate facti sumus, et justitia penas luimus, et clementia liberamur, orare non cesses. Ita tibi neque præcepta et disputationes doctissimorum hominum et vere christianorum, neque libri, neque serenæ ipsæ cogitationes defuerint, quibus facile quod quæris invenias (1).

(1) Lib. De utilitate credendi, capp. 16, 17, 18, tom. viii, opp. edit. Maur.

TRACTATUS DE DEO EJUSQUE ATTRIBUTIS.

Proœmium.

Qui catholicæ religionis veritatem hætenus demonstravimus, iidem simul eorum omnium veritatem demonstravimus, quæ ad ipsam religionem pertinent, quæque ab ipsa traduntur. Siquidem tam apto hæc inter se vinculo tamque arcto connectuntur, ut unum idemque plane sint, neque alterum sine altero con-

sistere queat. Itaque jam esset acta res tota, nec ad revincendos heterodoxos, modo sui compotes sint, modo exca contradicendi libidine non abripiantur, quidpiam deberet ultra requiri. Verum quia non hujusmodi est religio catholica, ut, quemadmodum hæreticorum sectæ, latebris atque ambagibus velit obtegi

paratique semper, juxta monitum Petri (1), catholici homines sumus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe, libenter de illis dogmatibus singillatim disputare aggredimur. Unum curare debemus, ut, quam ipsa religio viam et

(1) 1 Pet. III, 15. Juvat in hanc sententiam afferre verba Tertulliani (*Adver. Valentin.* cap. III); « Abscondat itaque se serpens, quantum potest, totamque prudentiam in latebrarum ambagibus torquat, alte habitat, in cæca detrudatur, per anfractus seriem suam evolvat, tortuose procedat, nec semel totus, lucifuga bestia. Nostræ columbæ etiam domus simplex, in editis semper et apertis et ad lucem. Amat figura Spiritus Sancti Orientem, Christi figuram. Nihil veritas erubescit, nisi solummodo abscondi; quia nec pudebit illum aures ei dedere, cum Deum recognoscere, quem jam illi natura commisit, quem quotidie in operibus omnibus sentit, hoc solo minus notum, quod unicum non putavit, quod in numero nominavit, quod in aliis adoravit. »

PARS PRIMA.

DE DEI EXISTENTIA, UNITATE, ESSENTIA ET ATTRIBUTIS GENERATIM.

Dei nomine intelligimus ens, quo nihil melius esse aut excogitari potest. Inquiremus autem primo an sit, deinde utrum unus an multiplex, denique, quantum humana imbecillitate possumus, quæ sit ejus essentia, quæ dotes et proprietates.

CAPUT PRIMUM.

DE DEI EXISTENTIA.

Qui Deum esse negant *atheï* seu *atheistæ* vocantur, et quidem *positivi*, ut distinguantur ab iis, qui *negativi* passim audiunt, eo quod Deum esse ignorant, si tamen dari tanta ignorantia potest, quam saltem non ad longum tempus dari posse plures merito affirmant.

Dari autem plures *atheos practicos*, qui nempe ea ratione se gerunt, perinde ac si nullus Deus esset, heu nimium comperimus; ast non ita certum exploratumque est, utrum dentur *atheï speculativi* seu *dogmatici* vel *theoretici*, qui nempe sibi, oblectante conscientia, persuadere ratiocinationis vi revera possint, Deum nullum existere. Cum tamen quovis tempore nonnulli fuerint, qui Dei existentiam impugnaverint, cogimur adversus istos hanc inire disputationem. Hi *atheï theoretici*, qui, positis quibusdam principiis, scientificè impugnant existentiam Dei, vocantur *systematici*, ut discernantur ab iis qui nullo fundamento nixi id præstare satagunt, qui propterea *non systematici* audiunt.

Monendum vero est ex illis divinitatis hostibus alios directe atque aperta fronte ejus existentiam adortos esse, alios vero indirecte, larvata nempe ac subdola quadam ratione, quibus accensendi plerique ex iis sunt, qui vel non aliam ponunt Dei existentiam nisi *subjectivam* (1), vel Deum cum hac rerum uni-

(1) Tales plerique sunt ex iis, qui pertinent ad

rationem tradit, ab ea inter disputandum nusquam deflectamus.

Ordinur jam disputare de Deo, a quo sicuti rerum omnium ita et scientiarum, theologiæ vero maxime, initia sunt. Agemus primo de ejus existentia, unitate, essentia et attributis generatim; deinde singillatim de præcipuis attributis tum positivis tum negativis absolutis; tertio de intelligentia ac voluntate; ultimo de providentia, prædésinatione ac reprobatione. Quanquam autem hac de re multa philosophi communiter cum theologis tradant, quæ theologiæ studiosis latere penitus putandum non est; operæ tamen pretium nos facturos existimavimus, si saltem majoris momenti nonnulla hic in memoriam ipsis revocarem, ut et altius in eorum animis illa defigantur, et cumulatius recentes errores conjunctis facultatis utriusque viribus profligentur.

versitate confundunt (1), tum ii, qui argumenta omnia, quibus Dei existentia demonstratur, tanquam non sufficientia rejiciunt, nec usquam Deum inveniunt; illi nominantur *atheï directi*, isti *indirecti*.

Atheos enumerandi diversa diversis ratio est; aliis valde multi, aliis valde pauci numero sunt; rursum sic opinantibus, aliis bonus inest animus, pravus aliis (2). Nos vero neque tot esse ducimus, quot aliqui

scholam criticismi germanici, vel ab eadem prodierunt, de quibus postea.

(1) Quo in censu veniant in primis spinozistæ, qui confundi non debent cum veteribus stoicis, qui etsi docerint Deum animam mundi esse, Deum diverso sensu admittent a Spinozistis. Conf. Cudworth, *Systema intellectuale*, cum notis Moshemii. Id ipsum constat ex Cic. *De nat. Deor.* lib. II, ubi expendit diversas philosophorum sententias circa naturam divinitatis; necnon ex Lactantio, *Divin. Instit.* lib. II, cap. 5, ubi eos refellit. Sed de his postea. His addendi sunt recentiores sansimoniani, qui pariter, ut videbimus, Deum non alium admittunt præter hanc rerum universitatem et societatem ipsam.

(2) Inter eos, qui atheorum numerum extendere nituntur, eminent Bayle tum in suo *Diction. Hist. Crit.* tum in *Continuat. de ses Pensées sur la comète*, et *Réponse aux questions d'un Provincial*, part. II et III, etc.; cujus quidem in atheos propensio notissima est; nec non Jacobus Brucker in sua *Hist. philosoph.*, tom. I; Jac. Frid. Raimann in *Hist. Univ. atheismi*, lib. des. 4725; Baddæus in suis *Thesibus de atheismo*, aliique non pauci. Incaute etiam Nicole, ex jansenistarum coryphæis, scripsit; « Il faut que vous sachiez que la grande hérésie du monde n'est plus le luthéranisme ou le calvinisme, que c'est l'athéisme, et qu'il y a toutes sortes d'athées, de bonne foi, de mauvaise foi, de déterminés, de vacillants, de tentés, etc. » (*Lettre à une dame*, let. 25.) Conf. Feller, *Catéchisme philosoph.* art. *Athée*. Reprehendus etiam ejusdem vitii est Harduinus in libro, cui titulus, *Athéi detecti*, inter opera ejus varia, fol. Amstel. 1755. Recenset autem in hoc opere inter atheos detectos Jansenium, Victorem, seu Andream Martiu,

falso putant (loquuntur autem de atheis theoreticis), neque adeo paucos seu fere nullos esse arbitramur, ut nonnulli autumant.

Quidquid tamen de eorum numero sit, in adstruenda Dei existentia duo scopuli nobis sunt devitandi. Alter eorum, qui autumant nullam instituendam esse de Dei existentia demonstrationem, utpote quæ sola fide tenenda sit, atque ex revelatione credenda, de qua nobis constat ex auctoritate generis humani (1); atque hi quidem videntur nobis cause proditores. Alter vero eorum est, qui nullam saltem stricte talem demonstrationem eadem de re fieri posse aiunt; quod pariter periculi plenum existimamus. Nam etsi daremus, ut plerique jure contendunt, non posse Dei

Thomassinum, Malebranche, Quesnel, Antonium Arnauld, Nicole, Pascal, Cartesium, le Grand, Silvium Regis: in eundem finem scripsit opusculum: *Reflexions importantes*, etc., quod in eodem volumine reperitur. Sed et eum imitatus Bruchkerus, in *Hist. crit. philos.* tom. IV, part. II, p. m. 668, inter plures viros pietate insignes, quos summa injuria in atheorum numerum retulit, recensuit ipsum Harduinum, etsi Bruchkerus alio omnino animo id fecerit; ceterum si Joannem Tolandum, Anton. Colins, et Ludovicum Mayer excipias, reliquos omnes, quos hic auctor *atheos* accusat, singillatim vindicat Brenna mox citandus, lib. II, part. II, cap. 27. Inter eos vero, qui extenuare atheorum numerum certant, numerari ii debent, qui ab atheismi macula vel eos purgare nituntur, qui omnium fere consensu tales habiti sunt, ex gr. Jul. Cesar Vanini, Spinoza etc., eos enim purgat Wegscheider, § 57, n. b. Consulatur de hoc argumento Brenna Soc. Jesu, in opere *De generis humani consensu in agnoscenda Divinitate*, 2 vol. in 4. Florentiæ 1775, part. I, cap. 26 et seqq. præsertim cap. 55, qui omnium plenissime de hoc argumento scripsit, ita ut vere dixeris ab eodem rem fuisse penitus exhaustam.

(1) Ita auctor operis: *Essai sur l'indifférence en matière de religion*, necnon Batain, etsi diverso principio ductus, qui in suis responsionibus ad Joan. F. Marriam le Pape de Trévern Episcopum Argentoratensem (Strasbourg) proficitur: « J'ai l'intime conviction, et comme chrétien et comme philosophe, que le raisonnement seul, sans la lumière de la foi, ne peut me donner la certitude sur cette première de toutes les vérités (existentiæ Dei). » Mirum porro est quod paralogramis instruat ad hoc efficiendum. Conf. *Avertissement sur l'enseignement de M. Batain*, Strasbourg 1834, pag. 5. et seqq. Hic tamen auctor sescriptaque sua Sedis Apostolicæ judicio humiliter subjecit, et in epistola quam dedit episcopo suo 21. sept. an. 1857. non pauca ex iis quæ minus caute scripserat retractavit. Denum in monito præmisso operi cui tit. *Psychologie exprimée*, Strasbourg, 1859. Hæc præclare scripsit: « Après avoir déferé lui-même au jugement du Saint-Siège ses précédents écrits, il a consulté à Rome des personnes graves par leur caractère comme par leur position, et illui a été dit que, fort de ses intentions droites et de sa soumission à l'Eglise, il devait continuer son œuvre, en s'efforçant de déposer ses nouveaux écrits aux pieds du Souverain Pontife. C'est ce qu'il fait en ce moment dans toute la sincérité de son âme, déclarant qu'il est prêt à retrancher de cet ouvrage, ainsi que des autres, tout ce qui pourrait paraître contraire, et de quelque manière que ce soit, à la doctrine de l'Eglise. L'auteur était catholique avant d'être philosophe, et il ne veut être philosophe qu'à la condition de rester catholique. » Utinam omnes ejusmodi exemplum imitentur, ac illi præsertim quorum scripta ab Apostolica Sede damnata sunt, nec turbas cierent, nec turbarent ecclesiam!

existentiam ostendi ea demonstrationis specie, quæ dicitur *a priori* seu per causam, vel ut alii dicunt ab antecedente, saltem prioritate ordinis, (1) tamen extra dubitationis aleam est, posse Dei existentiam probari ea demonstrationis specie, quam *a posteriori*, vel etiam ea quam *a simultaneo* nonnulli vocant, cum nempe proceditur ab effectu ad causam, vel utrumque simul assumitur (2).

In delectu autem argumentorum ad finem, quem intendimus, obviandum, temperamento quodam nobis opus est. Plura enim sive metaphysica sive *ontologica*, ut vocant, sive physicotheologica antiqui et recentiores scriptores ad ostendendam supremi numinis existentiam congerunt, quæ omnia persequi constituti nobis limites non sinunt, quod et nimis operosum et supervacaneum præterea esset. Quare unum vel alterum ex solidioribus et clarioribus seligemus, auditores nostros remittentes ad eos scriptores, qui ex instituto unumquodque argumentum peculiariter enuclearunt. Neque enim ii sumus, qui vel prætermittimus, vel non æque probata, hoc ipso ut minus apta ad rem conficiendam repudiemus, in quod vitium incurrerunt incaute nonnulli scriptores catholici, et passim incurunt ex quadam animi perversitate neoterici scriptores e protestantium grege, quibus constitutum est omnia susque deque ferre (3).

(1) Juxta rigidiores quosdam philosophos demonstratio *a priori* eadem est ac ab antecedente prioritate saltem ordinis juxta nostrum concipiendi modum; non vero quæ *ex causa* ad effectum procedit; quo sensu nemo est, qui contendat demonstrationem existentiam Dei institui posse; sed eam solum ab attributis, ex ordine conceptis, fieri posse illi existimant.

(2) Dicitur demonstratio *a simultaneo*, quod constat duabus demonstrationibus, *a priori* scilicet et *a posteriori* in unum coalescentibus.

(3) Inter catholicos eminet l'Herminier, cui visio veritatis, quod argumenta quinque, quibus S. Thomas p. I, q. 2. art. 3, adstruit Dei existentiam, tanquam minus solida traducat, quæ tamen communi calculo probantur. Ex protestantibus vero, præter antiquiores aliquot, recenseri debent ii omnes, qui autumant ideam Supremi Numinis subjiciens reale, ut Fichte in opere: *Anweis zum seligen Leben*, id est, *Manuductio ad vitam beatam*; vel qui demonstrationem in solis rebus mathematicis et his quæ sensibus objecta sunt locum habere arbitrantur, ut Daub, *Theologumena* III et seqq.; Clodius, *Allgem. Religionslehre*, etc.; sen, *Doctrina universalis de religione*, 77 et seqq., 187 et seqq.; Idem, *Von Gott in der Natur*, etc.; seu *De Deo, in natura in historia humana*, Lips. 1818; Marheimecke, *Die Grundlehre*, etc. hoc est, *Doctrina fundamentalis christianæ dogmaticæ*, Beroolini 1819, §§ 23 et seqq., § 121, ubi hæc habet: « Idea Dei, tum relate ad ejus essentiam, tum relate ad ipsius existentiam ea ratione tantum ostenditur, ut evincatur ex sensu intimæ vitæ; » et § 125: « Originalis necessitas unitatis rationis humanæ cum conscientia Dei est argumentum præcipuum eorum, cui sic dicta argumenta innuntur; » et alibi passim; H. F. W. Heinrichs, *Die Religion*, etc. seu *Religio in intrinseca relatione ad scientiam*, Heidelberg 1822, pag. 97: « Quod demonstrandum assumitur, inquit, existentia nempe Dei, etiam prout cognoscitur jam est completum, dum hoc juxta suum conceptum coincidit cum notione cogitationis. Existentia igitur Dei certa est, et in certitudine et cognitione consistit ipsa